

laticius et brevioribus, pedunculis non striatis, acheniis brevioribus basi laeviusculis, pappi setis non nigricantibus distinguitur. Discrimen inter Scorzoneram et Podospermum mere artificiale est et forsitan haec duo genera aptius in unum jungenda erunt.

SCORZONERA PICRIDIOIDES Boiss. (Sect. *Euscorzoner* DC.)

Sc. glaberrima glaucescens nana, radice collo petiolis vetustis squamoso, foliis fere omnibus radicalibus ovato-rotundatis breviter petiolatis crispato-denticulatis obtusis caule humillimo a basi ramoso 3-4 cephalo, foliis caulinis ad dichotomias lanceolatis crispatis acuminatis, capitulis cylindricis paucifloris, involucri glaucescentis glabri squamis paucis infimis brevibus triangularibus, interioribus lanceolatis acutiusculis, floribus extus purpurascens involucri superantibus, acheniis brevibus cylindrico-compressis erostratis squamoso-muricatis, pappo plumoso multiseto albo achenii longitudine, setis intimis longioribus apice nudis.

Hab. in Persiâ ad *Ispahan* Aucher No. 4898.

Folia radicalia sesquipollicem longa 12-15 lineas lata, caulis bipollicaris, capitula magnitudinis eorum *Sc. montanae* vel *strictae* sed angustiora. Species distinctissima in genere facie anomala sed ei characteribus omnino congruens, prope *Sc. paradoxam* F. et M. collocanda quae e descriptione foliis integerrimis acutis, caulibus subsimplicibus, pedunculis apice incrassatis differt.

SCORZONERA STENOCEPHALA Boiss. loc. cit. Febr. 1845. (Sect. *Euscorzoner*.)

Sc. radice tuberosâ, oblongo-cylindricâ, collo vestigiis petiolorum vetustorum valde squamoso, foliis omnibus radicalibus puberulis anguste linearibus gramineis flexuoso-incurvis glaucescentibus, scapis monocephalis folia vix superantibus, capitulis parvis paucifloris anguste cylindricis, involucri squamis paucis tomentellis oblongis albo-marginatis obtusis, intimis flores extus purpurascens non aequantibus, acheniis . . . . .

Hab. in declivibus alpis *Kuh-Daëna Persiae australis* Kotschy No. 481.

Radix longa 1-3 pollicaris, folia et scapi 2-4 pollicaria, capitula illis *Pod. villosi* Stev. minorâ et praecipue triplo angustiora. Quoad

faciem, folia et capitulorum magnitudinem praesertim *Sc. tuberosae* Pall. simillima, sed ab ea eximie distincta capitulis cylindricis nec brevibus subrotundis.

Obs. *Podospermum villosum* Stev. *Sc. villosa* M. B. non Scop. est species in toto Oriente ab Atticâ per *Asiam minorem*, provincias *Caucasicas*, *Russiam meridionalem* et *Persiam australem* (Kotschy) late sparsa et cui adnumerandae sunt: *Sc. calvescens*, *Szowitsii*, *velutina* et *Astracanicæ* DC. *Sc. undulata* DC. Prod. quoad plantam Orientalem probabilissime quoque *Sc. araneosa* Sibth. *Pod. molle* Fisch. et M. *Sc. mollis* M. B. vix differt foliis strictis erectis non undulatis et probabiliter est quoque varietas hujus speciei.

SCORZONERA LIMNOPHILA Boiss. loc. cit. Febr. 1845. (Sect. *Gelosia* DC.)

*Sc. glaberrima*, radice tuberosâ ovatâ crassâ, foliis omnibus radicalibus humi expansis linearibus brevibus viridibus nervo medio albido instructis, pedunculis unifloris foliolo ad medium instructis monocephalis basi ascendentibus foliis paulo longioribus, capitulis cylindricis paucifloris involucri squamis paucis, inferioribus ovato-rotundis, interioribus lanceolatis obtusis triplo longioribus, flosculis marginalibus extus purpurascensibus caeterum luteis involucrum superantibus, acheniis crostratis marginalibus oblongo-compressis secus strias muriculatis interioribus breviter cylindricis angulatis laevibus, pappi sordide albi achenium subaequantis setis acheniorum marginalium plumosis, interiorum caducis vix plumosis scabridis.

Hab. in paludosis alpinis *Persiae australis* ad fontem *Dcheschme Pias* montis *Kuh-Daëna* Kotschy No. 737.

Folia sesquipollicaria 2 lineas lata, scapi 2-3 pollicares, magnitudo capitulorum et habitus *Sc. pygmaeae*, quae caeterum longe differt rhizomate crasso caespitose, squamarum involucri forma DC.

Obs. *Sc. elata* Boiss. diagn. No. 4. *Sc. strictae* Hornem. appropinquanda est et ei forsitan nimium affinis praesertim ejus varietas angustifolia quae a planta Rossica tantum differt collo radicis nudo, glabritie et involucri squamis longe attenuato-acuminatis.

SCORZONERA ISPAHANICA Boiss. (Sect. *Lasiospora* DC.)

*Sc. tota dense lana floccosa demum secedenti obsita*, caule simplici inferne folioso superne elongato-paniculato, foliis oblongo-lanceolatis